





ad Excelsitas  
Nisi  
Nobilissimae, Consultissimae atque Clarissimae

JOHANNIS SCHÖENE

J. V. D. Professoris Ordinis sui Senioris & Censurarii  
Patroni Dexterrini

Tit. Brem. d. d. Martii MDCCL.



Ut de religione & pietate Jureconsultorum, olim magis ac nunc quidem, dubitatum est, idque dictorio pervulgato, sed indigno ut repetatur, (†) ansam dedit, tempore quo barbaries & superstitio late regnabant, sic postmodum, dum hinc jurisprudencia, per excultas philosophiæ & juris naturæ disciplinas, a scoriis æque ac Theologia, repurgata est, inde vero, quid religio quidque pietas sit, definitum est accurate, quæstio in numerum otiosarum est relegata, atque tot exempla Jureconsultorum vere piorum docuerunt, religionem cum scientia atque praxi juris & æqui, probe consistere inque una sede posse morari. Sed ulterius progrediendum atque agnoscendum est, ex omnibus scientiis humanis, nullam esse, quæ tot adminicula & tot incitamenta ad religionis & veræ pietatis cultum suppeditet, quam sana & profundior legum scientia. Instruat nos Philosophia, ut quæ rationi ope sensuum æque ac universalium notionum patent, de Dei natura edisserere, instruant Mathesis & Medecina, ut quæ in operibus divinis, maximis & minutissimis atque compage corporum viventium, perfectionum divinarum documenta conspiciuntur, agnoscere atque enarrare valeamus: Jurisprudencia ad arcem causæ tendit, atque illa demum excutit recteque declarat, quæ non solum ad dogmatum revelatorum conceptum plenum faciunt, sed & ad exer-

(†) Clar. Vir GOTHFR. MEIER JCrus Giessensis *Dissertat.* A. 1719. alios simul laudans, istam calumniam, a Christianis, uti antea Celeberrimi nominis Jureconsultus Trajectinus CORN, van ECK in *Oratione* solemnii A. 1717. a paganis JCrus absterfit. Iste natales ejus ex Sec. XV. repetit, cum juris periti in Academiis Italiae docti, Romanas leges loco prisce Germanici juris invehent, ob quam rerum mutationem, quidam Germaniæ Ordines in comitiis Friderici III. auspiciis celebratis, consilii auctores fuerunt, ut Doctores Juris e judiciis eliminarentur, verbis significantissimi concepti, quod GOLDASTUS *Part. I. der Reichs Saßung* pag. 312. inferuit.

exercitium rectæ & placitis divinis conformatæ virtutis. Quicquid Theologia dogmatica ambitu suo complectitur, Jurisprudentiæ divinæ nomine merito insignitur, sic enim in ipsis quas adhibet vocibus & rerum denominationibus, ut & in variis veritatum nexibus, legum peritiæ affinis est, ut videri fere possit, ex hac disciplina, istam esse hausitam atque transfusam, si excipias quæ de mysteriis tradit. Obversantur Jurisperito notiones, quæ in sacris oraculis utramque faciunt paginam, quibusque illa efferunt articulos principales, sive ut audiunt stantis & cadentis Ecclesiæ, de domino & subiecto, dominio atque imperio, legibus, jussis & mandatis, de officiis, obedientia, quibus Sacra, habitum Dei ad genus humanum denotant: Scit ille quid sit obligatio, quid delicta quid debita, reus, culpe variorum generum atque graduum, sors, actor, actio, judex, tribunal, imputatio facti tum proprii tum alieni, vadimonium, sponzor fidejussor & expromissor, satisfactio, quid jus verum & commentitium, quæ poenarum & remissionum quæque justificationis, etiam per imputationem facti alieni, æquitas & quæ Majestati inhæreat cum jure potestas, ut audit, aggratiandi. Nec civilia solum atque criminalia, sed & ipsa feudalia imo publica jura juvant, ut quæ sacræ litteræ inde petunt schemata, mente sua comprehendat penitus, ac quisquam alius, qui ista ignorat. Intpicit hunc orbem territorium esse Dei, in quo summam ubique potestatem exercet adoranda ejus Majestas, translata in Hospitatorum exaltatum; ut primus homo, Dei vasallus in feudo Paradisi, nexus primum observantissimus, degenerans postea, ipse atque posterius, per feloniam alia, & alia læsæ Majestatis crimina, in falso scilicet simulacrorum & idololatriæ cultu, exciderint jure atque beneficiis; ut in aula coelesti, ad ipsius nutum, mandatis pareant apparitores, ut bellis pedetentim devincat tot hostes, ut rebelles domet atque vel ad officium & homagium reducat, vel delet; ut Ecclesiam tueatur, quæ foederum indoles & ut ad occupandam Monarchiam universalem, quam præstolamur in terris, omnia admirandis providentiæ moderaminibus, lente quidem ut gloriæ suæ conducit, sed tamen juste & certissimo eventu, disponat. Jurisperitus hæc in sacris oraculis legens schemata, ut illa intelligit accurate, ex ipsa luce, quam scientia ejus affert, de viarum Dei cum homine peccatore in hoc orbe æquitate atque decencia, redditur persuasissimus, offendicula simul, ad quæ harum rerum ignari, impingunt facile, evitat removetque, quod exemplis Illustrium Virorum GROTHII, PUFFENDORFII, SECKENDORFII & HUBERI adstrui posset, & hinc impulsus, ad istud Numen colendum ejusque verbis credendum, paret facilius. Lugemus maturum satis obitum, cum jactura quam inde patitur Illustri Scholæ nostræ insigni, Jureconsulti religiosi atque pietatis exemplo eminentis, Collegæ nostri conjunctissimi, cujus nomen, tabulæ hujus frons præfert. Originem ille duxit ex maxime conspicuis internos gentibus, satus *Parente* Viro Nobilissimo & Consultissimo JOHANNES SCHOENE J. V. D. & *Causarum Patrono*, *Matre* Matrona Nobilissima METTA HARMES, superstitite & fatum filii merito acerbe ferente; *Avo* T. T. MEIMARO J. V. D. & *Advocato*, *Avia* T. T. HIBBELIA WACHMAN, *filia* Syndici Senioris Excellentissimi JOHANNIS WACHMAN & T. T. ALMATE HOLLEN; *Abavo* T. T. HERMANNO SCHOENE Jcto & *Senatore*, *Abavia* T. T. KUNIGUNDA STEDING, *nata* Inelyti Consulis CHRISTIANI STEDING & T. T. KUNIGUNDAE von BORKUM, quæ utraque gentes *Stedingia* & *Borkumia*, olim patriæ bono, diu præfuerunt. Ex Materna stirpe *Avus* illi erat, Vir perquam Magnificus JOHANNES HARMES Jctus & *Patriæ Consul*, *Avia* T. T. METTA von ASCHEN, T. T. Senatoris HENRICI von ASCHEN, & T. T. WOMMELIÆ HUNEKEN *filia*; *Abavus* T. T. MICHAEL HARMES *Poliater* & *Reipublice Phycus*, *Abavia* T. T. ANNA TESMARA, *Clarissimi Viri* JOHANNIS TESMARI Eloquentiæ, *Historiarum* atque *Græcæ Linguae Profesoris* P. & T. T. GERTRUDIS CHYTREÆ *filia*. Studiis a teneris dicatus b. m. Collega noster, postquam frequentasset classes, & ad lectiones publicas Ao. 1716. esset promotus, in elegantioribus Litteris V. C. *Johannis Havighorstii*, in *Philosophia* V. C. *Ludolphi Henrici Rungii*, in *Jurisprudentia* vero *Viri celebratissimi*, postmodum patriæ Consulis CASPARI a RHEDEN manuductione usus, defensionisque sub hujus moderamine Ao. 1720. d. 12. Sept. Disputatione publica, *de differentiis juris Statutarii Bremensis & juris*

*juris Romani circa successionem ab intestato*, Musas Trajectinas salutavit atque ex institutionibus Viri Excellentissimi *Everardi Otto*, Syndici nunc Patriae Primarii, Celeberrimique *Cornelii van Eck*, per biennii spatium, sic profecit, ut iter litterarium ingredi, & in Gallias proficisci potuerit, ubi unctio- nis, in praesentiarum gloriosissime Regnantis Majestatis Ludovici XV. spe- ctator fuit. Inde vero per Argentinam, visis urbibus superioris Germaniae celebrioribus, Wetzlarum abiit, experientiae, in supremo ibi florente Ger- maniae Dicasterio, acquirendae causa, & cum ab Amplissimis Proceribus d. 25 Junii A. 1723. vocaretur ad provinciam docendi jura in Illustri Schola, Marpurgum petiit, ibique post publicae defensionem dissertationem inaugura- lem, *de jure prohibendi privatis competente* die 28 Octobris, Juris Utriusque Doctor creatus, facta excursionem ad alias Germaniae Urbes, patriae reddi- tus, muneris auspicia sumfit, dicto d. 4 Maji Ai 1724. Sermone adituali, *de origine atque progressu juris publici Imperii Romano Germanici*. Sacris con- nubii vinculis copulatus est d. 4 Maji Ai 1732. cum vidua nunc moerentis- sima, Virgine tunc lectissima GESA MARGARETHA d'ERBERFELD, Viri Amplissimi PHILIPPI d'ERBERFELD Magnarii florentissimi & Sena- toris & T. T. METTÆ LÖNING filia, ex quo suscepit binam masculam prolem, Virorum juvenum praecleara omnia minantium, quorum uterque Societati Teutonicae, hic florenti, a secretis est, JOHANNEM natum d. 7. Octobr. Ai 1733. S. Theologiae & PHILIPPUM, natum d. 5. Decembr. Ai 1734. jurisprudentiae, consecratos. Laudavimus Viri optimi religiosam pietatem, de profundiore juris peritia testantur tot suscepti labores, de di- ligentia in tradendis disciplinis, tot auditores, qui Scholas eius frequenta- runt, de dexteritate in negotiis fori, tot clientes, de integritate Judices, de hu- manitate & sinceritate, amici, de prudente cura, qua ipsi profuit, universa familia. Moerentes ob ejus obitum, solatio suo Deus reficiat, sarciatque damnum, quod ipso nobis erepto, nos patimur. Valetudine debiliore sem- per, sed accurata dieta sustentata, usus, a multis retro annis, dolores rheu- maticos saepius passus, circa finem Septembris anni elapsi, incidit in febrem acutam, cum inflammatione in latere dextro, quibus utrisque depulsis, spe restitutionis affulgente, dein se prodidit tumor in interiore abdomine durior & tactui patens, quem cum comitarentur febres lentae & pertinaces, ema- ciatum corpus, exhaustis viribus, die tertia currentis, circa septimam matu- tinam, succubuit. Nulli dubitamus Vos, Cives nostri, reverentiam erga me- rita Doctoris vestri, in exsequiis, frequenti comitatu esse testaturos: Con- dentur enim exuviae mortales, hodie sub horam I. in sepulchro in templo An- gariano. Val. P. d. 7 April, A. MDCCLVI.



Hochbede

Die 7

Bader Re

ho

Desselde



Der G

wolgerüdig

Die G

mann, su

Frau Alm

Der U

hochbede

Die U

Stedings

gunda vo

von langen

Mün

weicher No

Die G

redunen St

Der U

und meerde

Die Ue

marus, der

rühnen Lehr

Von cr

maßfärben G

für lateinische

promoviret;

in Anatomie

sei sum den

redunen St

in Jahr 172

mens & Ju

Beauf

ten, und alle